



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

31. Studiositas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Petitio.

Domine JESU , qui toto vitæ decursu, paupertatem in sociam individuum elegisti, in stabulo paupere nascens , in cruce nudus moriens ; prædicationis tempore , ubi caput reclinares , non habens : largire mihi paupertatis spiritum ; ut Te imiter, Tibi placeam , atque hîc centuplum , in futuro , vitam æternam possideam.

Aspirationes.

I. *Beati pauperes spiritu , quoniam ipsorum est regnum caelorum. Matth. c. 5.*

II. *O quanta beatitudo ! pro parvis magna recipere , aeterna pro brevibus , pro morituris semper viventia , & habere Deum debitorem ? S. Hieron. Epist. 150.*

III. *Hoc oro , hoc desidero , ut ab omni proprietate exspoliatus , nudus nudam JESUM sequi valeam.*

P A S S U S XXXI.

Studiositas.

T E X T U S.

Stude sapientiæ , fili mi , & lætifica

fica cor meum, ut possis exprobranti respondere sermonem.
 Proverb. c. 27. 11.

Cognitio.

STudiofitas est virtus, quâ immoderatum sciendi appetitum comprimimus, & animum in discendis necessariis incuriosum ac negligentem, ad moderatum studium scientiarum accendimus.

Actus :

1. Nolle noxia, prohibita, curiosa, & inutilia scire; sed solam rerum cognitionem, nostro statui & forti convenientem appetere.
2. Scientiam rebus ad salutem necessariis, aut veræ virtuti nequaquam præponere; sed eam suo in gradu, id est post virtutem & res ad salutem necessarias, diligere.
3. Rebus utilibus studere eâ diligentia, quâ oportet: eo fine quo oportet illis locis, temporibus & instrumentis aut adminiculis, quibus oportet.
4. Appetitum sciendi utilia dormituri-entem, aut etiam labantem, & penè morientem excitare atque accendere.

5. Non

5. Non solum intellectum ; verum etiam sensus , tam internos , quam externos , à rerum inutilium , aut noxiarum , solius curiositatis prætectu amatarum , perceptione , reprimere.

Consideratio.

Quis studiositatis virtutem sibi comparare negligat , si ejus emolumenta expendat? Illa enim I. Temporis nobilissimi jacturam arcet , atque ad illud probè expendendum inducit. II. Virtutis , rerumque divinarum neglectum proscribit. III. Curiositatem nimiam refrœnat. IV. Ad sapientiam , doctrinam , scientiasque nobis necessarias , tum ad propriam , tum ad proximorum salutem , plurimum adjuvat. An non igitur præcipuo studio nobilis hæc virtus quærenda & sectanda est?

Petitio.

Fons sapientiæ , Verbum Dei in excelsis , gratiam mihi largire , sapientiæ & scientiæ operam dare , ut oportet ; ut inutilia , curiosa , noxia scire non appetam : ad utilia addiscenda animum alacriter applicem ; rectumque in studendo , & addiscendo ordinem teneam , ad laudem & gloriam tuam.

Aspirationes.

I. *Altiora te ne quæsieris ; & fortiora te , ne scrutatus fueris. Eccli. c. 3. 22.*

II. *Obserua, quid scire magis, priusve oporteat: tempus enim breue est. S. Bern. ser. 36. in Cant.*

III. *Da mihi, Domine, sedium tuarum afflictricem sapientiam, ut sciam nimium sciendi ardorem retundere, & ignauiam eliminare.*

PASSUS XXXII.

Taciturnitas seu Silentium.

TEXTUS.

Si quis autem putat se religiosum esse, non refrœnans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio. S. Jacobus epist. c. 1. 26.

Cognitio.

Taciturnitas est virtus, immodicum loquendi appetitum refrœnans; ita ut non tantum ab illicitis, sed licitis etiam verbis abstineat. S. Albert. M.

Actus.

1. Nihil illicitum, nihil minus decens, nihil